

III

AD NAVEM QVA VEHEBATVR ATHENAS PROFICISCENS VERGILIVS

*Glyconico-Asclepiadens*

Sic tē dīva potēns Cyprī,  
Sic frātrēs Helenae, lūcida sīdera,  
Ventōrumque regat pater,  
Obstrictīs aliīs praeter Iāpyga :

Nāvis, quae tibi crēditum  
Dēbēs Vergilium, finibus Atticīs  
Reddās incolumem, precor,  
Et servēs animae dīmidium meae.

Illī rōbur et aes triplex  
Circā pectus erat, quī fragilem trucī  
Commīsit pelagō ratem  
Prīmus, nec timuit praecipitem Āfricum

Dēcertantem Aquilōnibus,  
Nec trīstēs Hyadas, nec rabiem Notī,  
Quō nōn arbiter Hadriae  
Māior, tollere seu pōnere vult freta.

Quem mortis timuit gradum,  
Quī siccīs oculīs mōnstra natantia,  
Quī vīdit mare turbidum, et  
Infāmēs scopulōs, Ācroceraunia ?

Nēquīquam deus abscidit  
Prūdēns oceanō dissociābilī  
Terrās, sī tamen impiae  
Nōn tangenda ratēs trānsiliunt vada.

Audāx omnia perpetī,  
Gēns hūmāna ruit per vetitum nefās.  
Audāx Iāpetī genus  
Īgnem fraude malā gentibus intulit :

Post īgnem aetheriā domō  
Subductum, maciēs et nova febrium  
Terrīs incubuit cohors ;  
Sēmōtīque prius tarda Necessitās

Lētī corripuit gradum.  
Expertus vacuum Daedalus āera  
Pennīs nōn hominī datīs ;  
Perrūpit<sup>t</sup> Acheronta Herculeus labor.

Nīl mortālibus arduum est :  
Caelum ipsum petimus stultitiā ; neque  
Per nostrum patimur scelus  
Īracunda Iovem pōnere fulmina.